


M. P. C. P.



Valentini Thebani Gon
v April 1618
Francofurti ad Viadrā



Σὺν Θεῷ
QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ
DECAS V.

De
BONIS OPERIBUS,

PRÆSIDE
POLYCARPOLYSERO
SS. Theol. Licentiato & Profefs.
Extraordinario.

RESPONDENTE
M. ELIA KNOGLERO
Aultriaco.

Disputabitur ad diem 29. Maij horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,
Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.



[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like 'BONNEN', 'STRE', and 'M. ELI...']





DISPUTATIO V.

Ex Epitome Libri Concordia,

De

BONIS OPERIBUS

QUESTIO I.

An sint facienda bona opera?

Thesis. I.



Qvod bona opera veram fidem (si modo ea non sit mor-
tua, sed viva fides) certissime atq; indubitato sequan-
tur, tanquam fructus bonae arboris, haecenus Luthe-
ranorum fides, doctrina & confessio fuit, & adhuc
est. F. c. p. 589.

II. Facit tamen Pontificiorum impudens calu-
mniandi libido, Simonis Magi impietatem. qui fidei
justiciam asserendo, liberam scelerum licentiam permisit, nobis assingentes,
Lindanus tab. 4. analyt. ut sic copede hanc questionem praterire non
possimus, sed in initio calumniam hanc graviter repellere necesse habeamus.

III. Accidit hac in parte nostris Ecclesiis, quod D. Apostolo Paulo, gen-
tium Doctore. Hic cum Romanis suis veram justificandi rationem exposu-
isset; quod videlicet omnes egeamus gloria Dei: justificemur autem gratis per
gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus
propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, pro-
pter remissionem praecedentium delictorum &c. Statim quidam prodie-
runt, qui licet Apostolo movebant, quasi legem destrueret per fidem. Quod
portentum tantum abest, ut concedat Apostolus ex doctrina fidei sequi, quin
potius contrarium concludat: Legem per fidem stabilimus. Rom. 3. 23. &c.

IV. Et nos Augustanae confessioni ore & corde addicti arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis Rom. 3. 28. Hic anathemata emittit conciliabulum, quod Tridenti fuit congregatum, sicq; nostram veteratorie explicat sententiam: docere nos, justificatum non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiae, sed tantummodo ad credendum Sess. 6. c. 20. & praeter fidem, caetera esse in differentia, neque praecipua, neque prohibita sed libera, can. 19.

V. Sed, o censores egregij! ubi queso tale à nostratibus assertum & propugnatum (Antinomorum enim patrociniū non suscipimus, qui ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis I. Ioh. 2. 19.) quin potius contrarium quotidie in nostris sonat Ecclesiis, & diligentius ipsis Pontificiis (Vbi verba de bonis operibus multa, ipsa verè bona opera ignorantur & negliguntur.) hoc studium bonorum operum urgemus.

VI. Docemus enim, i. justificatos (de justificandis enim non agit Concilium, quorum alia ratio) non vocatos à Deo ad immunditiam, sed ad sanctificationem I. Thess. 4. 7. 2. omnis enim arbor, que non facit bonos fructus, excindetur, & in ignem projicietur Matth. 3. 10. 3. Christus dedit semetipsum, pro illis, ut mundaret sibi populum peculiarem $\zeta\eta\lambda\omega\tau\eta\nu$ bonorum operum. Tit. 2. 14. 4. Debites ergo jam sunt, ut non secundum carnem vivant. Rom. 8. 12. sed liberatori suo serviant, in sanctitate & justitia omnibus diebus vite Luc. 1. 75. 5. Si enim secundum carnem vixerint, morientur, sin verò spiritu, facta carnis mortificaverint, vivent, Rom. 8. 13.

VII. Impudens ergo sophisticatio est, sic argumentari velle: Lutherani in actu justificationis praeter fidem nihil admittunt, Ergo caetera statuunt indifferentia. Ad formam, Boni viri, ad formam. Quasi verò non sit alia ratio justificationis, alia renovationis. Discant hoc ex Augustino de fide & oper. c. 14. sequuntur opera justificatum, non praecedunt justificandum: siquidem nec fructus arbore priores esse possunt.

QUAESTIO II. Quæ sint verè bona opera?

VIII. Ignorantia definitionis, infinitas ferme $\epsilon\theta\epsilon\lambda\theta\eta\sigma\eta\sigma\kappa\epsilon\iota\alpha\varsigma$ in Ecclesia Iudaica & Pontificia peperit; & certè quamdiu vera definitio constituta non est, mens humana semper fluctuat, et in novis subinde consingendis cultibus admodum negotiosa est & laboriosa.

IX. Nos huic malo obviam ituri, hanc damus definitionem: bona opera sunt quæ à renatis auxilio Spiritus sancti fiunt, opera à Deo mada
data

data, ad normā legis divinæ, prelucente fide, ut Deus glorificetur.

X. Evolvenda est hæc definitio. Iniriō voce operum non tantum actiones notamus sed etiam facta & effecta actionum generatim, hac voce utentes. Non tamen indiscriminatim omnes notamus actiones, sed mandatas à Deo. Actiones ergo ex bona intentione, vel secundum traditiones humanas susceptas ex hoc loco, proscribimus & relegamus.

XI. 2. Causam efficientem S. Sanctum statuimus, qui ad bene operandum homines ducit, hic agit & operatur in filiis Dei Rom. 8. 14. Hic est potens ille Deus, qui afficit ut abundemus ad omne opus bonum 2. Cor. 9. 8. Unde etiam bona opera, εὐνοίας ἔργα dicuntur 1. Thess. 4. 3. 7. & fructus Spiritus, Galat. 5. 22.

XII. 3. Subiectum, Hominem Renatum dicimus, in quo solo bona inveniuntur opera. Lex enim spiritualis est Rom. 7. 14. Homo autem non renatus in peccatis natus & sic spiritualiter mortuus Eph. 2. 5. Vita ergo spiritualis ubi non est nec operatio spiritualis ibi esse potest: & licet naturali vita vivat homo, quia tamen non ex naturalibus causis & viribus bona existant actiones, ad vitam natura illa referri haut poterunt.

XIII. 4. Canon etiam & regula Bonorum operum constituenda; quæ nulla alia est, quàm Lex divina, regula illa immota iusticiæ in Deo, quæ juxta interpretationem Prophetarum Christi & Apostolorum intelligenda, quod videlicet agat de internis, non tantum externis actionibus, omniaq; præscribat, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam, juxta dicta Deuter 12. 8. & 32. Numer. 15. 39. Ezech. 20. 18.

XIV. 5. Sequitur causa formalis, fides in Christum, quæ anima est bonorum operum, fides enim per caritatem est efficax, Gal. 5. 6. & quicquid sine fide sit, peccatum est Rom. 14. 23. Expressit hoc Epistola ad Hebræos c. 11. 4. dicens: Fide præstantiorem hostiam Abel obtulit Deo quàm Cain. Et Petrus monet 1. Epist. c. 2. 5. nos debere offerre hostias spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christum. Quia enim opera nostra imperfecta sunt & contaminata, Deus ea non potest in se considerare, sic enim accepta non possunt esse, sed in Christo, qui omnes maculas merito suo abstergit, & imperfectionem perfecta sua obedientia regit; quæ tamen omnia non nisi fide accipiuntur, quæ Filium & in Filio omnia apprehendit.

XV. Finis etiam in actionibus principaliter respiciendus, qui est gloria D E I, summum intellige, Matth. 5. 16. Philipp. 1. 11. Huius subordinatos damus fines; commodum proximi Luc. 6. 38, Matth. 5.

16. 1. Cor. 10. 32. 1. Pet. 2. 12. fidei nostræ testimonium 1. Ioh. 4. 8. lac.
2. 20. 2. Pet. 1. 8, & præmiorum corporaliũ & spiritalium in hac &
æterna vita ex gratia promissorum consecutionem 1. Tim. 4. 8. 2. Corinth.
9. 6. Galat. 6. 9. Ephes. 6. 8.

Q U Æ S T I O III.

Sed quid de Heroicis factis Sanctorum &
virtutibus gentilium statuendum?

XVI. *Bona opera qua sint vidimus: jam utrum sub hoc genere, duo hæc
in questione notata contineantur, dispiciendum.*

XVII. *Tria autem principalia esse bonorum requisita operum, jam
audivimus, breviter: Subjectum, formam & finem, ad hæc semper
respiciendum.*

XVIII. *I. Heroicos ergo motus quod attinet. 1. Subjectum ritè
dispositum invenimus, homines renatos: 2. nec forma de est fides scilicet,
qua licet expresso Dei verbo, tanquam fundamento, non gaudebat, peculia-
ri tamen Spiritus Sancti motu non carebat, qui instar verbi fuit, id quod à
posteriori colligimus, cum legimus Deum illa opera approbasse & remune-
rassè. 3. finis, quæ spectatus legitimus, gloria scilicet Dei.*

XIX. *Speciales tamen hi fuerunt motus, nec ad imitationem trahen-
di, nos enim ad verbum revelatum alligati sumus, hac norma operum con-
tentos nos esse decet.*

XX. *II. Virtutibus Gentilium nimium tribuunt Pontificij,
qui inde faciunt meritum congrui & præparaciones ad salutem: aperte e-
nim docuerunt, Ethnicos bonis operibus æternam esse meritos salutem: Nec
dissentit Bellarm. Tom. 4. l. 5.*

XXI. *Sanè inter bona & mala opera etiam in Ethnicis differentiam
esse, ultro concedimus. Sunt enim illa 1. à Deo præcepta in Decalogo. 2.
cum eo quadantenus congruunt. 3. Deus etiam universali amore tales com-
plectitur 4. præmiis temporalibus afficit, 5. & in æterna damnatione sup-
plicio tolerabiliore vindicabit. Gesnerus in F. C. disp. 6. c. 2. Hac verò
Deus prohibuit, odit & temperaliter ac æternum punit.*

XXII. *Duplicem tamen sortiuntur respectum bona illa gentilium o-
pera: Vel enim considerantur in se, quoad substantiam facti, & catenus ad
clæsem bonorum operum referri possunt, quæ tamen consideratio generalis
est. Vel*

est. Vel etiam ratione personæ, modi & finis, quo respectu bonorum operum titulo non gaudet, sed instar peccati reputantur.

XXIII. Persona enim peccato Originali contaminata, caro est, quod autem ex carne natum, caro est Johan. 3. 6. & mala arbor non potest bonos fructus facere Matth. 7. 18.

XXIV. Modus quoque vitiosus, quia non ex fide fiunt; omne autem quod non est ex fide peccatum est Rom. 14. 23. & sine fide impossibile est. DEO placere Hebr. 11. 6. Hinc scriptura testatur, quod oratio, quæ alias cultus Deo gratissimus, hominis fide carentis, fiat in peccatum Psal. 109. 7.

XXV. Fine etiam legitimo destituuntur: ignorarunt enim verum Deum, in cuius honorem præstanda erant illa opera, & vel nominis sui famam, vel patriæ & amicorum commodum solum spectarunt.

XXVI. Ad bonum ergo opus requiritur, non tantum, ut aliquid fiat quod suo genere bonum est, sed præcipue ut bene fiat: possunt enim aliqua bona fieri, non benefacientibus, à quibus fiunt. Augustinus.

QUÆSTIO IV.

An bona opera sint libera?

XXVII. Gravissimè monet Apostolus suos Corinthios, scribens: Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia. I. Cor. 1. 10.

XXVIII. Cui admonitioni si Theologi quidam Confessioni Augustanæ alias addicti, locum dedissent, non tam periculosa phrasæ hoc in articulo & dissensiones nostris in Ecclesiis excitatæ fuissent. Novit as enim phrasium, ut suspecta est, ita dissensionibus uberem præbet materiam.

XXIX. Notum est quid Pontificij formula sua Interreligionis Anno, 1548. Augustæ Vindelicorum consarcinata, quaesierint, ut scilicet per cuniculos articulum justificationis everterent, (aperto enim Marte id nunquam effecissent) hac usi propositione: Bona opera esse ad salutem necessaria,

XXX. Contradicebant his alij satis acriter: alij mollius eos tractabant, imo quidam aperte hanc propositionem defendebant: inter quos Præcipuus erat D. Georgius Major, qui circa Annum Christi 1552. harum propositionum patrocinium suscipiebat: Bona opera ad salutem esse necessaria.

necessaria: Impossibile esse sine bonis operibus salvari: Nemi-
nem unquam sine bonis operibus salvatum esse.

XXXI. Inter alios qui errori Majoristico se opponebant, erat Nico-
laus Ambsdorffius, qui nimium in sinistram deflectendo, bona opera ad sa-
lutem perniciose esse dicebat.

XXXII. Ambobus his, qui contradicebant, nec illis conveniebat:
Alii enim illorum, bona opera libera esse contendebant; (quam sententiam
ad tempus etiam D. Andreas Musculus defendit): alij necessaria esse, licet
non ad salutem, tamen propter alias causas, asserebant.

XXXIII. Qui quidem initio de vocabulis disputabant; sed tandem
etiam de re ipsa disceptabant. Illi enim contendebant: Legem apud Chri-
stianos, prorsus non esse docendam, sed tantummodo doctrina Evangelij ho-
mines ad bona opera invitandos esse. Hi hanc opinionem ut impiam im-
pugnabant. Nos insimplices has controversias resolvemus propositiones,
& singulorum sententias examinabimus.

XXXIV. Qui libera bona opera esse dicebant, ad duas classes re-
ferri possunt: alij de voce, alij de re ipsa agebant.

XXXV. Qui vocem Libertatis urgebant, & necessitati oppone-
bant, nihil aliud volebant, quam novam reatorum obedientiam non à ne-
cessitate quadam & coactione, sed à spontaneo spiritu promanare.

XXXVI. Que sententia & scriptura consona, & ἡ ἐπιθυμία τῶν σα-
νorum verborum servat. Sic enim Christus, Joh. 8, 36. Si vos filius libe-
raverit, verè liberi eritis. Paulus, 2. Cor. 3, 17. Vbi spiritus Domini, ibi li-
bertas. 2. Corinth. 9, 7. Vnus quisq; prout destinavit in corde, non ex tri-
stitia, aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus. Petrus 1. Pet. 5,
v. 2. curam agite gregis DEI non coactè sed liberè, non turpis lucri causa, sed
prompto animo. Et hæcenus in doctrina consensus.

XXXVII. In eo autem errabant, quod necessitatis vocem planè ex
hoc articulo relegabant: cum tamen duplex sit necessitas: alia est ne-
cessitas ἐπιθυμίας, que ordinem & mandatum divinum respicit: alia
est βίαις, quando præter voluntatem vi externa quispiam cogitur. In
posteriore significatione de nova reatorum obedientia usurpari haud potest:
in priore autem usurpatum fuisse scriptura testatur, ut post monstrabimus.

XXXVIII. Qui de re ipsa contendebant, ex libertate licentiam ex-
truebant, & novam obedientiam reatorum, juxta ordinem divinitus sanc-
tum, necessariam esse, negabant.

XXXIX.

XXXIX. Equidem vox Libertatis equivocata est, & interdum de tali libertate accipitur, qua alicui est arbitrium, ut aliquid vel faciat, vel omittat. Quae vocis significatio scripturae incognita non est, ut patet in 1. Cor. 9. 19. & Rom. 6, 20. de renatis verò & nova obedientia eorum nussiam usarpas: quin potius necessitatem quandam urget, ut sequens edocebit questio.

XL. Neq; nova est haec depravatio Antinomica, viguit etiam temporibus Apostolorum; propterea coacti fuerunt, quando de libertate disputarent, precavere, ne auditores ea doctrina abuterentur. Paulus Gal. 5, 13. ait: Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per caritatem servite invicem. Et Petrus 1. epist. 2. 16. Tanquam liberi, & non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi DEI.

QUAESTIO V.

An bona opera sint necessaria?

XLI. Quando de necessitate bonorum operum disputamus hac in questione, Majoristicam illam *ωεγδ ηνχλω*, qua necessitas illa ad salutem refertur, itemq; necessitatem *βιασινλω*, exclusam volumus.

XLII. Simpliciter ita informata questione, negare non possumus, phrasin hanc & scripturae consonam, à Libris nostris symbolicis non alienam, nec D. Luthero inusitaram fuisse.

XLIII. Certè Concilium Hierosolymitanum Act. 15, 28. hac ipsa phrasi de nova renatorum obedientia utitur: Visum est Spiritui sancto ac nobis, nequid amplius imponeremus vobis oneris, quam haec necessaria, &c. Consentit Paulus, Rom. 13, 5. Necessitate subditi estote, & 1. Cor. 9, 16: Si Evangelizaverò non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Sic loquuntur Apostoli, Actor. 5, 29. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Similis his leguntur, Rom. 8, 12. Debitorum sumus non carni, &c. Rom. 13, 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem, vos diligatis. Luc. 17, 10. Quae debuimus facere, fecimus.

XLIV. Symbolici quoq; nostri Libri ita loquuntur. Aug. Confess. Art. 20. Praeterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, &c. & Art. 6. Docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo facere. Apolog. Confess. de argumentis Adversariorum: sunt facienda bona opera propter mandatum Dei: item ad exercendam fidem item propter Confessionem & gratiarum actionem. Propter has causas debent necessario bona opera fieri.

B

XLV.

XLV. Deniq; Lutherus etiam usitatus fuit haec Propositio. De votis Monast: Opera in Decalogo mandata, non sunt quidem ad iustitiam & salutem necessaria; tamen necessaria sunt. Neq; enim omitti possunt, etiam praesente fide.

XLVI. Sed quomodo id quod necessarium est, liberum esse potest? Diversi hic respectus probe notandi: necessitas enim, respicit ordinem & mandatum divinum. Perpetuo autem manet ille ordo, quod creatura debet creatori obedientiam, Malach. 1, 6. Filius honorat patrem, & servus Dominum suum; si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?

XLVII. Libertas autem & voluntaria illa obedientia, notat causam efficientem, spiritum spontaneum, quem Christus renatis donat, ut ejus ductu sponte & volentes DEO obtemperent. Hinc Paulus Rom. 7, v. 22: Condelector legi secundum interiorem hominem.

XLVIII. Et hoc innuere voluerunt Apostoli, quando in doctrina de bonis operibus cum libertate servitutem conjunxerunt. Paulus ad Galat. 5, 13, ait: Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per caritatem servite vobis invicem. Et Petrus 1. Ep. 2, 16: quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi DEI.

XLIX. Hanc libertatem spiritus in Electis Dei filius non perfectam, sed multiplici infirmitate adhuc gravatam agnoscimus: quemadmodum D. Paulus super ea re de sua ipsius persona conqueritur Rom. 7. Galat. 5.

L. Illam tamen infirmitatem Dominus electis suis non imputat, idq; propter mediatorem Christum. Sic enim scriptum est, ad Rom. 8, 1. Nihil jam damnationis est his, qui in Christo Iesu sunt.

QUAESTIO VI.

An bona opera ad salutem sint necessaria?

LI. Necessariam esse renatorum novam obedientiam, jam evictum speramus: ad quid vero necessaria sit, inquiremus.

LII. Quae Majoris fuerit sententia Quaest. 4. vidimus; statuit, scilicet, bona opera ad salutem, si non acquirendam, tamen conservandam necessaria esse, neq; ullum hominem dari posse, qui sine operibus salvatus sit.

LIII. Haec sententia plane est Pontificia; sic enim concilium Trident. Sess. 6. Can. 24: si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari, atq; etiam non augeri coram Deo per bona opera, &c. anathema sit.

LIV. *Neg³ est quod excipiat Major se loqui de salute, Pontificios de justificatione; Non enim alia media consequenda salutis, quam justificationis Deus proposuit. Docet id Paulus Rom. 3, 28: Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis. & ad Ephes. 2, 18: gratia salvati estis per fidem, non ex operibus.*

LV. *Imò quia ubi justitia, ibi & vita & salus est, D. Paulo synonyma sunt, justitia & salus. Nam ad Rom. 4, 5. justificationem asserit fieri, quando fides imputatur ad justiciam, idq³ probat testimonio Davidis, qui beatitudinem hominis dicit, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Iam si justitatio & beatitudo non unum idemq³ notarent, unum de altero nec affirmari, nec unum per alterum reciproca affirmatione probari posset.*

LVI. *Placuit Majoris opinio ipsi Bezae, qui Part. 1. Quæst. & Resp. P. 675. sic scriptum reliquit: si fides ad salutem necessaria est, & veram fidem opera necessario consequuntur (ut quæ otiosa esse non possit) certè & illud efficitur, necessaria esse ad salutem bona opera, non tamen ut salutis causam, &c. Hic anno 66. aliud subscripserat in Helvetica Confessione; quæ hanc phrasin expressè rejicit.*

LVII. *Sive verò ut causam, sive ut quiddam necessariò cum vera fide coharens, bona opera ad salutem quis necessaria statuat, graviter errat.*

LIX. *Quæcunque enim phrasis. 1. Cum scriptura pugnat, 2. Particulis exclusivis, quas Paulus tantopere urget, vim infert, 3. Meritum Christi obscurat, 4. Laqueos conscientis afflictiis necit, 5. Papistis favet, 6. Augustanæ Confessioni & Luthero contraria, illa repudianda & vitanda est.*

LIX. *Majoristicas autem Propositiones. 1. Scripturæ repugnare. th. 54. demonstratum; virtute enim solius DEI custodimur per fidem ad salutem, 1. Pet. 1, 5. Hic salvos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam in Christo Iesu, 2. Tim. 1, 9.*

LX. *2. Abolere etiam particulas exclusivas, certum est: Major dicit, Impossibile est quenquam sine operibus salvari: Scriptura dicit: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia salvos nos fecit. Tit. 3, v. 5, Rom. 4, v. 6. Ephes. 2, v. 8. Galat. 2, v. 16. Rom. 11, v. 5. & 6.*

LXI. *3. Meritum Christi contumelia afficere, quis negabit? Christus enim non tantum justificator noster, sed etiam Salvator, 1. Tim.*

4, 10. Et si sufficiens est ad justificandum, quidni etiam ad salvandum: quam primum autem operum lacinia assuuntur, imperfectionis meritum Christi accusatur: gratia enim non est gratia ullo modo, nisi detur gratis omnimodo. Augustinus.

LXII. 4. Conscientiis territis consolationem eripere manifestum evadit, ex illo Pauli ad Rom. 4. 16. Ideo ex fide, (quia sola etiam apprehendit promissionem) ut secundum gratiam, firma sit promissio: ergo ex operibus nulla firmitas, nulla certitudo? quia fide justificati (non operibus) pacem habemus apud Deum, Rom. 5. 1.

LXIII. 5. Papistis faverè has propositiones, Liber interimisticus satis testatur, hanc enim propositionem inibi maxime urgent, qua recepta, spontè securam ruinã doctrinæ de gratuita justificatione statuebant.

LXIV. 6. Augustanæ confessionis Articulum VI. has phrasas, rejicere, cuius legenti illum obviam est, Imprimis in allegatione dicti D. Ambrosii: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens Remissionem peccatorum.

LXV. Nec D. Luthero placuisse, ex commentariis in Epistolam ad Galatas scriptis colligitur. Patet id quoque ex Explicat. c. 22. Genesol. fol. 315 ubi sic ait: Aliqui huic propositioni (Non sola fides justificat, sed fides conjuncta operibus) callidam declarationem sive limitationem addunt. Licet exigamus opera, tanquam necessaria ad salutem, tamen non docemus confidendum operibus. Est satis astutus Diabolus, sed nihil agit tametsi facum imperitis & rationi facit.

LXVI. Vtut sit phrasis probari non potest, & licet sensum optimum affingerent, hoc responsi tamen ferrent, corrigite linguam & retinere mentem.

QUAESTIO VII

Quid si fides per bona opera conservaretur, atque sic per consequentiam essent necessaria ad salutem?

LXVII. Nos negativè respondemus: Et ut paulò altius repetamus, Spiritui Sancto initium ut conversionis, ita & renovationis tribuendum: Hic non per opera acquiritur, (non enim nisi prius renati benè operantur) sed ex auditu fidei Gal. 3. 2.

LXVIII. Sic Spiritus Sanctus homini collatus, fidem in illo efficere dicitur, Est enim donum Dei Eph. 2. 8. Philip. 1. 29. : opus Dei Ioh. 6. 29. ἐνέργεια Ἰησοῦ Coloss. 2. 12. & quidem Spiritus Sancti, juxta illud Apostoli

Apostoli 1. Corinth. 12. 9. alij datur fides in eodem Spiritu & v. 11. haec omnia operatur unus & idem Spiritus

LXIX. Efficit autem fidem Spiritus Sanctus non ἀμεσῶς, Enthusiasticè, sed eo ipso quo ipse Spiritus S. acquisitus, organo: verbi scilicet & Sacramentorum, id quod tum testimoniis tum exemplis manifestum evadet.

LXX. Ex auditu fides est Rom. 10. 17. hinc auditus fidei Gal. 3. 2. Bap-
tizetur unusquisq; in nomine Iesu in remissionem peccatorum vestrorum,
est accipiet is donum Spiritus Sancti, Act. 2. 38. ad quod etiam fides per-
tinet, quæ in illa renascentia ex aqua & Spiritu obringit Iohan. 1. 12.

LXXI. Exempla etiam quam plurima acta Apostolica subministrant:
Petro loquente Spiritus Sanctus delapsus est, super omnes qui audiebant
sermonem Act. 10. 44. Audientes gentes gavisa sunt & crediderunt, Act. 13.
48. Berrhoenses. susceperunt verbum cum omni aviditate & multi ex illis
crediderunt. Act. 17. 11.

LXXII. Haec verò quæ de fidei causis diximus, non tantum ad initi-
um, sed etiam medium & finem fidei referenda sunt, per quæ enim fides da-
tur, per eodem augetur & conservatur, Non enim diversa acquisitionis, in-
crementorum ac conservationis fidei instrumenta atq; organa Deus con-
stituit. Mylius in A. C. p. 106.

LXXIII. Hinc scriptura, quando de confirmatione & perseveren-
tia in fide agit medium subnectit, vocem divinam, efficientem, ipsam Dei
virtutem, & similia Hebr. 3. 14. & 15. Colos. 1. 23. 1. Pet. 1. 5. Et Apostoli
orant Luc. 17. 6. Domine adauge nobis fidem.

LXXIV. Deus enim omnis gratiæ, qui vocavit nos in aeternam suam
gloriam in Christo Iesu, ipse perficiet, confirmabit, solidabitq; ipsi gloria &
imperium in secula seculorum. 1. Pet. 5. 10.

QUÆSTIO III.

Anne autem malis operibus fides a-
mitti potest.

LXXV. Vindicavimus hæctenus saniolem sententiam à Pharisaismō
restat jam ut & Epicureismum destruemus, inutilia enim terra pendera
(Epicuri de grege porcos dico) nimis latè ex assertione nostra, bonis operibus
fidem non acquiri, concludunt, malis quoq; operibus fidem non amitti posse:
Contrariorum enim eadem est ratio.

LXXVI. Contra horum insaniam in aciem producimus. 1. Scriptura dicta 2. comminationes. 3. Exempla.

LXXVII. Testatur Scriptura; Si conversus justus à justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, & morietur. Ergo, ante vixerat Ezech. 3. 20. c. 18. 24. c. 33. 12. Luc. 11. 24.

LXXVIII. Monet Apostolus: Nolite errare, neque fornicarii neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. 9. Galat. 5. 21. Rom. 8. 13. & scortatores & adulteros, qui templum Spiritus Sancti vastant, Deus destruet. 1. Cor. 3. 16. Patet hoc in sermo illo nequam; cui pater celestis debitum dimiserat, sed postmodum, ob summam ingratitude, revocavit sententiam, severam exhortationem, subjungens: Sic & pater meus celestis faciet vobis &c. Matth. 18. 36.

LXXIX. Loquuntur exempla hominum, tum Piorum, Primorum Parentum, quos fidem amisisse qui negat, sanitate mentis orbatum necesse est; Davidis qui orat: Spiritum rectum innova in visceribus meis Psal. 51. 12. Petri Christum abnegantis. Nec hoc impossibile esse, de seipso Paulus testatur. 1. Cor. 9. 27. castigo corpus meum, & in servitutum redigo, ne dum alijs predicavero, ipse reprobus fiam. Tum impiorum, Saulis regis, à quo recessit Spiritus Domini. 1. Sam. 16. 14. Judæ Ischariotis, qui in infantia circumcisus accepit signaculum justicie fidei: Simonis Magi qui credidit, & Philippo adhesit, sed postea rursus excidit. Act. 8. 13. Himenæi & Alexandri qui amissa fide & bona conscientia excessa, circa fidem naufragium fecerunt. 1. Tim. 1. 19.

LXXX. Nec militat ratio à contrariis ducta, non enim exquisita est bonorum & malorum operum oppositio, imò maxime diversa illorum ratio: neque, etiam eadem ratio acquisitionis quæ amissionis fidei.

LXXXI. Et licet Deum suorum donorum non pœniteat Rom. 11. 29. & verò fides donum Dei sit: tamen id respectu Dei qui immutabilis est, tantum verum manet: non respectu hominum, qui mutabiles. Qui ergo stat, videat ne cadat. 1. Corinth. 10. 12.

QUÆSTIO IX.

An bona opera sint perniciofa ad salutem?

LXXXII. Altera Epicuro grata propositio refutanda est. Fuerunt qui dixerunt: bona opera esse perniciofa ad salutem. Quæ propositio si ita nudè & crudè ponitur, ut offendiculi plena & Christiana disciplina perniciofa, rejicienda & damnanda.

83. Quæ-

LXXXIII. Quaecunq; enim Phrasis I. cum phrasi scripturæ pugnat. II. id noxium appellat, quod 1. à Deo mandatum. 2. ipsi gratum. 3. promissionibus exornatum III. Atheismo & Epicureismo fenestras aperit. illa admitti non debet.

LXXXIV. I. Audi ergò Apostolum Paulū, Philip. 1. 28. *Tantum ut dignum est Evangelio Christi vos gerite quod vobis est εὐδαιμονία σωτηρίας*: Indicium autem salutis, non est ad eam perniciosum. 1. Tim. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & future.*

LXXXV. II. Bona opera 1. Deus renatis iniunxit, 1. Thess. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Joh. 13. 34. *Mandatum do vobis &c.* 1. Joh. 4. 21. Rom. 8. 12. 2. grata sunt ipsi & accepta Rom. 13. 1. *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Coloss. 3. 20. 1. Tim. 5. 4. *Heb. 13. 15. 3. vult etiam remunerari, ut in ipsa lege promisit: faciens misericordiam his, qui diligunt me, &c.* Exod. 20. 5. *id quod exempla demonstrant, Abrahami, Gen. 22. 16. Obstericum Eod. 1. 21. Davides & aliorum.*

LXXXVI. III. Non minus homines Epicurea persuasione de fide, quam Pharisæica & Papistica fiducia in propria opera & merita, damnationem incurrere possant. Et his postremis temporibus, non minus necessarium est, ut homines ad rectè & pie vivendi rationem, bonaq; opera invitentur, atq; moneantur, quam necessarium sit, ut ad dedarandam fidem atq; gratitudinem suam erga Deum in bonis operibus sese exercent: quam necessarium est cavere, ne bona opera negotio justificationis admisceantur.

LXXXVII. Ex hac tertia ratione discimus simul, quod bona opera possint esse noxia ad salutem. Sed Quomodo & quatenus? scilicet Pharisæica & Papistica, opinio meriti accedat, ut quis fiduciam suam collocet in operibus, aut ea immisceat articulo justificationis aut salvationis.

LXXXVIII. Precuntem hæc in parte habemus D. Paulum Philip. 3. 7. *Quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnatum esse. Quin etiam duco omnia damnatum esse propter eminentiam cognitionis Christi lesu Domini mei, propter quem omnibus istis meipsum multavi, & duco pro stercoreibus, ut Christum lucrifaciam.*

QVAE-

QUÆSTIO X.

Propter quas causas bona opera sint necessaria?

LXXXIX. Docendi gratia ad tria personarum objecta causas, quæ ad studium benè operandi nos impellere debent, astringi possunt.

I. DEUS est; qui 1. Pater noster; ergo nos filios decet esse sanctos, sicut ipse est, 1. Joh. 3, 3. & 4, 11. 1. Pet. 1, 14. 2. Redemptor, in quo de novo creati ad bona opera. Eph. 2, 10. Tit. 2, 14. 1. Pet. 1, 18. 3. Sanctificator, Spiritum suum dans in nobis, cujus fructus sunt bona opera. 1. Thess. 4, 8. Gal. 5, 22.

II. Proximus: 1. hic operibus nostris juvandus, Luc. 14, 13. 1. Joh. 3, 17. 2. nostro exemplo ad pietatem invitandus, Matth. 4, 16. 1. Pet. 3, 1. 3. nec peccatis offendendus, 1. Corinth. 10, 32. Hebr. 12, 15. Matth. 18, 6.

III. Ipse homo: 1. hic operibus testatur se habere vivam fidem, Matth. 7, 16. Gal. 5, 6. Jacob. 1, 22. c. 2, 20. 2. Pet. 1, 8. 2. hys cavet, ne excutiat Spiritum sanctum, gratiam & salutem, Rom. 8, 13. Ephes. 4, 30. 2. Pet. 2, 20. &c.

Pleniorum harum causarum tractationem invenire licet in libellis methodicis; quo Lectorem remittimus.

Ἐπίγραμμα in gratiam

Doctissimi Domini RESPONDENTIS.

Ἀρχιερεὺς καλὰ ἀνθρώποις διὰ ἔργα τῶν
 Ἐν σῶμα καὶ ἔτυμον, ψυδόμενός τε πίλει.
 Χριστιανὸς κλυτὰ δὲ πρᾶσεν: μάλ' ἐτήτυμα βάζει.
 Πρὸς βίον ὡς δὲ μέσσα: ψεύδεα πολλὰ λέγει.
 Μέσσα βίῃ λέγομεν μέσσω μυσήρια καὶ κε
 ῥῆμα θεῶ, καρπὸς πίσι ἔργα καλὰ.
 Ἡμεῖς μὲν λέγομεν πανετήτυμα, ἀντίοι αὐτῶν
 Ζῶμεν. Γεν ἈΜ Φ Ω ἐσμὲν ἀμαρτίνοι.

Σωτηρίας ἢ Φιλοφιλίας χάρις
 fac:

M. Christophorus Crinesius Bohemus,
 Colleg: Philos: adjunctus.



822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408



Sb


ber

EO-Ry
03.101

DM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

32



ΘΕΩ
 M THEOLO-
 PITOME FOR-
 NCORDIÆ
 A S V.

SCOPE-
 U S,

SIDE
 OLYSERO

tiato & Profefs.
 nario.
 DENTE
 IOGLERO
 CO.
 em 29. Maij horis
 anis.

ERGÆ,
 ANO, Anno 1611.

